

DE  
**HYDROCELE**  
SPECIMEN INAUGURALE <sup>14</sup>

C U M  
GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS  
CONSENSU

PRO LICENTIA  
**GRADUM DOCTORIS**

RITE CONSEQUENDI  
SOLEMNI ERUDITORUM EXAMINI  
SUBJICET

**JOHANNES FRIDERICUS  
BONHOEFFER**  
HALA - SUEVUS

DIE XV. MARTII MDCCCLXXVII.  
H. L. Q. C.

---

ARGENTORATI

Typis JOH. HEINRIC. HEITZII, Universitatis Typogr.





INCLYTÆ AC LIBERÆ  
S. R. I. REIPUBLICÆ  
SUEVO - HALLENSIS

VIRIS

ILLUSTRIBUS, GENEROSIS, MAGNIFICIS  
EXCELLENTISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMIS, GRAVISSIMIS

CONSULIBUS  
QUINQUEVIRIS  
CONSILIARIIS

RELIQUISQUE

COLLEGII SENATUS  
MEMBRIS  
PRUDENTISSIMIS



PATRIÆ PATRIBUS

OPTIMIS

FAUTORIBUS ATQUE MÆCENATIBUS

SUMMA, QUA PAR EST, PIETATE COLENDIS

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

DEVOTA MENTE

D. D. D.

TANTORUM NOMINUM

GODFREDI MAGNI

CONSTITUTARII


COTTERIUS

COTTERIUS SENATOR

MELMARI

devinctissimus

AUSTRO



## PROCEMIUM.



Nullam fere C. H. partem tam obscuris ver-  
bis a veteribus descriptam legimus, quam  
scrotum cum suis contentis. Quid ergo  
mirum, quād idem feramus judicium  
de eis, quād de chirurgicis morbis, qui  
in illo loco occurrunt, tradiderunt <sup>a)</sup>. Si quid in hac  
chirurgiæ parte profecerunt medentes, id debemus re-  
centiorum anatomiæ corum industriae, qui novis, prospe-  
risque conatibus contenta scroti his temporibus ferio ri-  
mati sunt. Laudabilem me suscepturn operam putavi,  
si in specimine academico intricatum hydroceles mor-  
bum pertractandum mihi sumere. Itaque collegi, dis-  
posui in ordinem, quād veterum, quād de ea recentio-  
rum scripta nobis exhibent, addidi, quād audire, inque  
ægrotis observare licuit. Ansam mihi suppeditavit Cl.  
LOBSTEINII, Præceptoris summe venerandi frater, chi-

A 3

a) P. POTT *Abh. über verschiedene Gegenstände der Wundarzn.*  
*aus dem Engl. 2. Band, Dresden 1774. p. 210.*

rurgus dexterrimus, ut illo morbo ægros, quos secuit, quotidie videre, quod gratissima mente mihi semper manebit, repostum statumque vulnerum examinare possem. Sic tironis opusculo conciliabitur pretium, quum id non nuda verba continet, sed re ipsa suffulta, quod B. L. benignissime excipiat rogo.

## §. I.

**H**ydroceles (*ὑδροκελη*) a) nomine a Græcis insignitur morbus, qui Latinis hernia aquosa, germanis *ein Wasserbruch* vocatur. Græcos sequuntur Angli, latinam vero æque ac græcam denominationem receperunt Galli. Ex hisce patet, quod verbis quidem convenient, circa res ipsas magnum vero diffensum interdum observas. Diversissimo quippe sensu nostri morbi nomen venit aribus: aut omnem omni in C. H. parte aquosam collectionem, quæ tumorem efficit sensibilem, sub eo intellexerunt b); aut illum considerarunt, ut colluviem serosam in pudendis utriusque sexus c); aut in scroto solummodo illius fedem statuerunt d); aut nobiscum hac compre-

a) Etymologiam reperies in §. III. Diff. PLATN. resp. BOEHMERO de *Hydrocele*, quæ extat in Opusc. Præf. Tom. I.

b) *Traité des Hernies*, Tom. I. à Paris 1749. p. 281. l'Hydrocele est une grosseur causée par une certaine quantité d'eau amassée dans une partie.

c) MAURICEAU *Traité des maladies des femmes grosses*, Liv. I. Ch. 24. *Traité des hernies*, 1. c.

d) GUIDO DE CAULIACO in *Magna Chirurgia*, Lugd. 1585. Tr. II. Doctr. II. Cap. 7. PIERRE FRANCO *Traité des Hernies*, à Lyon 1561. Ch. 21. Huc quoque pertinent illi, qui collectionem aquæ in facio olim veram herniam includente, ad Hydrocelen referunt. vid. MONROO *Essais sur l'hydropisie*, à Paris 1760. p. 205.

hendunt voce, qui ex humore intra tunicas testiculi & funiculi collecto oritur e). Excipias ultimam, & nimis vagas reperies, quas modo recensui definitiones. Si ALBUCASIN f) & HEISTERUM g) evoluis, altero in extremo peccant, qui solam speciem describunt, dum de genere loquuntur. Hæc in tunica vaginali propria testis cum vulgo observatur, fere sola, neglectis reliquis, omnes in chirurgicis claros autores occupavit. Plurimi ne alias nominant species, paucissimi hanc vel illam explicant. Igitur eas, quæ hucusque innotuere recensendi, & determinandi opera pretrum esse arbitror.

## §. II.

Genericarum divisionum sequentes notari merentur. Distinguunt hydrocelem in simplicem, & duplicem, in parvam, magnam, & maximam a), in molliorem, & duriorem b), in recentem, & inveteratam. — Quid his intelligent e nudis patebit verbis. — Alia vero est majoris momenti distinctio in simplicem, & compositam; simplex alias dicitur illa, quæ uno tantum in latere adest c), hic vero talis, quæ nullo alio jungitur morbo, cum e contrario composita cum hernia vera, vel spuria combinata reperitur. — Comprehendit sub se species notatu-

e) PLATN. Diff. cit. §. 1.

f) ALBUCASIS in *Methodo medendi*, Bas. 1541. L. II. Cap. 62.

g) HEISTER resp. BUTZER de *Hydroc.* Helmst. 1743. quæ extat in Tom. III. Coll. Disp. Chirurg. Ill. HALLERI: Hydrocele, inquit, mihi definitur, quod sit species hernie seu tumoris scroti, ubi in tunica ejus vaginali dicta, magna imo quandoque maxima seri copia præter naturam colligitur.

a) HEISTER magnitudinem distinguit ovi, pugni & capitis; in Chir. Cap. de *Hydr.*

b) Mollior erit, si membranæ non ita crassæ, si aquis non ita distenduntur; mollior quoque erit, quæ in pluribus hæret cellis.

c) Nunquam duplarem se observasse HEISTER refert in Diff. cit.

dignissimas — Hydroenterocele, Hydrofarciocele, & si auctoribus fides est, Hydrophyfocele *a*) huc pertinent.

Ut hydropem scroti distinguerent, in externam & internam dividunt; sic etiam MONROO veram & spuriam habet, quid sub ea intelligat, sequentia ejus docent verba: *Hydrocele batard est une tumeur formée par l'urine, qui s'échappe à travers la substance de l'urètre, & qui s'épanche dans le tissu cellulaire des bourses e).*

Galli propriis distinguunt terminis, *par infiltration*, *par épanchement*, aut enim in pluribus hæret cellulis, aut unicam cavitatem aqua distendit, tertium addidit *par dilatation* Autor ANONYMUS *f*), vasorum scilicet lymphaticorum dilatationem cystas efformare credidit *g*).

Recentiorum debemus inventis congenitæ cognitio-  
nem, quæ adquisitæ opponitur *h*).

### §. III.

Tunicas, quæ testiculum, funiculumque ambiant, tres esse, accurata partium perscrutatio docet. Vagina communis duas proprias involuit, quarum una a teste, altera a funiculo denominatur *a*). In omnibus aquam colligi ratio & experientia probant; communis enim stipata ex texto celluloſo membrana est, quæ propriam funiculi telæ celluloſæ possidentem qualitates includit; illa autem, quæ testis propria dicitur, cayum efformat, quod semper liquore

*d) Vid. MONROO l. c. pag. 5.*

*e) ib. pag. 148.*

*f) Traité des Hernies, p. 281.*

*g) Hanc hypothesin refutat MONROO l. c. p. 35. & 180. in nota.*

*h) Alia est connata, qualem in tunica vag. funiculi recenset DE LATRE in Journ. de med. par M. A. ROUX, Janv. 1770. T. 32. p. 351.*

*a) Vid. HALLERI Elem. maj. phys. T. VIII. p. 420. sqq. & CI. NEUBAUERI Diss. de Tunici vaginalibus testis & funiculi sperm. Giessie 1767.*

liquore exhalante irroratur. Est vero hæc processus peritonæ membranacei productio, quem natura in foetu, casus vel morbus in adulto apertum offerunt. A vulgarissima Hydrocele scilicet tunicæ vaginalis propriæ testiculi ordior; omnium fere chirurgorum scripta de illa loquuntur, in quibus partim obscura traduntur in sequentibus illustranda, partim erronea recensentur suis in locis corrigenda. Sententiam, quæ testem mediis in aquis hærere docet b), jam refutavit ÆGINETA c). BERTRANDI illud quoque in ea, quæ recens increvit, perpetuum esse, nobis persuadere contendit d). Secunda nostri morbi species in funiculi tunica vaginali propria habitat, quæ tamen raro occurrit; diversos agnoscit gradus, annulo ut plurimum terminatur, quandoque vero hunc transgredi terminum experientia discimus e). Si majus acquirit volumen, cellulæ rumpuntur, & aqua in illas tunicæ vaginalis communis, cum quibus alit commercium, intrabit, & singularem, si tibi volupe erit distinguere, hydroceles speciem formabit. Alia adhuc iisdem in locis sedet, quæ tunc adest, si in una tantum cella, commercio cum reliquis interrupto, liquor colligitur, latera expanduntur, & saccum referunt, titulo cysticatæ f) hanc distinguamus g) a quinta, quæ in processu perito-

## B

b) ALBUC. L. II. Cap. 62. POTT vom *Wasserbruch*, utor versione germ. quam edidit Cl. TODE, Coppenhag. 1770. p. 95.

c) Lib. VI. Cap. 62.

d) *Mem. de Chir.* T. III. p. 99.

e) POTT I. c. p. 56.

f) ALBUCASIS Lib. II. Cap. 62. ÆGINETA Lib. VI. Cap. 62. POTT I. c. p. 51. n. 2.

g) Hanc cysticam cum sequente eandem esse plura suadent; characteres vix differunt, nisi ratione figuræ, quæ tamen a majori, minorive distensione dependere potest. Existere posse tales tumores negare non audeo, nullas tamen reperi observationes, quæ non æque de priori varietate hydroceles in processu illo sedentis intel-

næi membranaceo locum habet, & sæpius occurrere solet. Varia hic notamus discrimina: aut in extremitatibus concretus est canalis, & spatium internedium aquam continet; aut superius cum cavo abdominis, vel inferius cum tunicae vaginalis propriæ testiculi communicat; aut cum utraque cavitate simul, & tunc hydrocelen congenitam adesse dicimus h). De dubia, quam intra testiculi albugineam observasse volunt i), hic non liquor, quum illam ad hydrofarcocelen refero. Animadverfione dignus etiam ille tumor aquosus est, quem hac hyeme inter epididymidis corpus & testem observare licuit. In propria cystide aqua fuit contenta, quæ ab impedita resorptione & ascensu liquoris aquei in cellulas depositi ortum traxisse videtur, quum varicocelen subiectum haberet.

#### §. IV.

Nunc ordo postulat, ut altius signa rimemur, quibus se noster morbus dignoscendum præbet, ne, dum aquam extrahendam credimus, intestina prolapsa, aut testem lædamus volumine auctum. Oscheo- & Sarcocelen facile cum illa specie, quam §. antecedente primo loco

ligi possint. Probabilem reddunt rem verba CL. POTT, qui hanc cysticam frequenter observari in infantibus refert: *Es ist ein Zufall, der keineswegs selten vorkommt, besonders bey Kindern;* l. c. p. 73.

h) Vid. Diff. de *Hernia congen.* obf. ult. Sequentes observationes fe observasse in collegio chirurgico monuit aliquoties CL. LOBSTEIN, in medio canalis hæsisse aquam tumoremque fecissè, per medicamenta externa rufus dissipatum, inque ejus superiore parte annulo proxima & in cadavere vidit, ita ut tumor pressionis ope annulum intraverit extusque disparuerit, quod dein etiam in ægro ipsi videre contigit. In cadavere re penitus examinata exæcte reperit ampullam aqua repletam ex canalis parte aperta relieti ornum traxisse.

i) MORGAGNI de *Caus. & sed. morb.* Epist. XLIII. art. 31. & 32.  
VOGEL Anat. chir. und med. Beob. Rostock 1759. p. 41. not. p-

posuimus, confundet rerum ignarus a); majorem enim requirunt attentionem, quam Hydrops scroti visu jam distinguendus. Signa, quæ Herniam veram scrotalem ab Hydrocele tunicae vaginalis propriæ testiculi discernunt, hic fere redeunt. Tumor, qui hanc efficit, ovalem habet figuram b), quandoque magis minusve ad rotunditatem accedentem c). Gaudet ut plurimum pelluciditate d), si tangitur nonnunquam fluctuationem percipit medicus e); digitis se offert, ut vesica aqua repleta f), varia corporis positione eandem conservat figuram g), nullis doloribus vexat ægrum, aut leves, si adsunt, tractum funiculi sequuntur, & suspensorii operatim tolluntur h). Ab alvo constricto vel laxo non afficitur, æqualem repræsentat superficiem, testiculum abscondit, funiculum relinquit liberum, locum non mutat,

## B 2

- a) Cl. KALTSCHEID in Progr. de *Necessitate extirpandi hernias spurias*, Jenæ 1749. de hac difficultate dicit: Tantam ejusmodi herniae spuriae majores quandoque monstrant duritatem, ut sagacissimo quoque practico difficile sit cognitu, an a contentis aquis, an a latente aere vel scirro aut carne luxuriante tensio integratorum & tumor proveniat.
- b) PAULUS ÆGINETA *Operum* edit. Argent. 1542. L. VI. Cap. 62. rotundum paululum, & ovi modo longiusculum describit; PETR. FRANCO Ch. 21.
- c) *Traité des Hernies*, T. I. p. 288. — celles dans lesquelles le testicule est contenu sont exactement rondes.
- d) Tunicas nimis crassas, colorem liquoris alteratum exceptionem facere, ÆGINETA jam monet l. c.
- e) Nisi exactissime repleatur.
- f) Vid. HEISTERI Diff. §. 23.
- g) Quod sit tumor firmus ac stabilis &c. ÆGINETÆ Lib. VI. Cap. 62. FRANCO Ch. 21.
- h) Hoc fieri potest, quando tumor prægrandis funiculum tendit, sed quando facci latera nimis expanduntur, dolores quoque surgunt sola operatione tollendi, observavi hunc ultimum casum in subiecto, quo Hydrocele duplici vexabatur.

ut is in loco, quo incepit, per periodos augeatur & crescat. — Contraria in oscheocele, quæ ab annulo in scrotum descendens cylindri formam refert, nunquam pellucida est, tactu durior *i)* in abdomen intrat vel sponte, vel levi pressione, tunc murmura audiuntur, dolores colici non raro adsunt cum alvo constricto. Major si in sacco continetur intestinorum portio, ob illa varie contorta, inæqualitas observatur, testiculus optime *k)*, funiculus nullo modo distinguitur, uno quasi momento oritur, initio inguen occupat, post descendit in scrotum. Hosce si comparas characteres, nunquam errabis in determinando tumore.

### §. V.

Sarcoceles illum morbum testis esse cum hydrocele facile confundendum, haud pauci sunt, qui affirrunt *a)*. Non laudandi mihi videntur illi, qui observationibus utuntur, his in distinguendis morbis, quæ nullam plane fidem merentur. Referunt enim, si in utroque latere scroti morbus est, aut in dextro tantum, tunc sarcoceles, si autem in sinistro est, tunc hydroceles esse concludendum *b)*. Meliora signa distinctionis ex ipso tumoris tactu desumenda esse arbitror, ut tumoris inæqualitas,

*i)* Durissimæ quandoque hydroceles includentes membrana flunt, imo cartilagineæ, quales GOOCH reperiit. vid. *Mem. de Chirurg.* T. V. p. 685.

*k)* Nisi sit congenita, de cuius distinctione inferius.

*a)* HEIST. Diff. §. 26. verum longe difficilius hydrocele a farcocele distinguitur, ut haud raro & Medici & Chirurgi satis prudentes atque experti hac in re decepti fuerint.

*b)* in Diff. cit. §. 26. Denique adhuc notari velim, quod farcocele sepe sit in utroque scroti latere, hydrocele vero plerumque tantum in unico latere. & §. 29. Neque ullum adhuc novi exemplum, ubi hydrocele in utroque latere, id quod in farcocele Dn. Praeses sepe videt, simul sit observata. ALBUGASIS & EGINETA vero jam de duplice loquuntur.

funiculus inflatus, tumens, & dolens, summus etiam levissimæ pressionis sensus, & in tactu durities sarto-  
celen declarant.

Non quidem negandum, quod quædam eorum etiam ad hydrocelen referenda sint, præsertim si duritiem spe-  
ctes, uti etiam hoc ab alijs obseruatum fuerit c); ergo non uni soli inhærendum esse puto, sed omnia signa simul, quæ proposui, sedulo perpendenda sunt, & com-  
binanda, ut morbus rite determinetur.

### §. VI.

Quæ nostram speciem a scrotri hydrope signa disser-  
nunt, ea sunt manifestissima. Status corporis univer-  
sus & morbi, quibus is jungitur, jam sufficerent, hunc symptomaticum ab illo locali distinguere a). Effunditur aqua in omnem scroti cellulosam b), quæ, majori in gradu, penem quoque turgentem fistit c), rugæ alias lat profundæ evanescunt, in scroto nitet cutis d), digiti-

c) Diff. cit. §. 26. POTT I. c. p. 93. *Manchmal ist sie hart (de Hydroceles tumore loquitur) und gibt dem Druck fast gar nicht nach, ja so wenig, dass man sie in einigen wenigen Fällen für einen verhärteten Hoden angesehen hat. Nec fluctuatio ut infal- lax considerari debet signum, illa enim observatatur in testiculis aquæ repletis, quales in Tab. Progr. KALTSCHM. cit. annexis depictos videmus.*

a) *L'hydropisie du scrotum par infiltration est souvent une suète de l'hydropisie ascite, ou de l'anasarque, ou même de l'œdème des jambes & des cuisses.* MONROO *Essais sur l'hydropisie*, p. 146. in nota.

b) *Excipias casum rarissimum, quem POTT recenset I. c. obs. VII. Es war (was ich noch niemals gesehen hatte) eine Wassersucht dieser Membrane (der Dartos) bloß an der einen Seite &c.*

c) MONROO I. c. p. 143. in nota: *Dans cette espece d'hydropisie la verge est non seulement enflée, mais encore elle est assez ordinairement allongée & tortillée d'une maniere extraordinaire.*

d) HEISTER in Diff. §. 29. frigidam quam esse cutem, dicit. POTT I. c. p. 38.

& impressi vestigium per aliquod temporis spatium subsistit, testiculi disparent, cum majori minorive funiculi parte. Species vero, de quo nobis hic sermo est, in uno tantum scroti latere observatur, nisi sit rarius casus e), membrum tunc minus redditur & se retrahit f), rugosa permanet cutis, nec ejus color mutatur, resilit statim pressus tumor, si non insigniter durus, testiculi disparent, non ita funiculus. Tantum de prima hydrocelles specie, nunc eadem ratione reliquas examinare animus est, licet multa jam retulerim, quæ illas simul respiciunt.

### §. VII.

Sequitur nunc hydrocele, quæ tunicam vaginalem funiculi propriam occupat. A priori specie facile distinguitur, cum loco differat a), sed non ita a bubonocele, præcipue si annulum intrat, ut supra monuimus b). Difficillime signa traduntur, cum tactus, non ex descriptione, sed experientia addiscendus primarium exhibit; interest tamen sequentia considerare: figura hujus herniæ spuriæ omnino variat, prouti magis minusve descendit, aut annulo appropinquat; ut plurimum pyramidalis observatur c), sed ne quis putet herniam semper adesse, si tumorem annulum intrare videt, non inconsultum duxi hic annotare, nostram quoque speciem levi pressione

c) Ubi scilicet duplex adest, quallem quoque vidi.

f) conf. HEISTER l. c.

a) Prior species testem, hæc funiculum circumdat.

b) §. III.

c) vid. POTT l. c. p. 55. Bis etiam eandem vidisse se in collegio retulit Præceptor venerandus; lata gaudebat basi in ima parte sensim ultra medium funiculi ascendi acuminata quasi reddit. Varicocelel primo aspectu mentita fuit; ait fune aperto aqua cellulas replevit, & tumoris illius causa fuit.

intra abdomen quasi abscondi d), quod phœnomenon fere nulla indiget explicatione; provenire enim hancce tunicam a peritonæi cellulosa æque certum est, ac omnem telam ubique communicare scimus; — non ita facile tamen reprimitur erecto corpore, nec reditus fluidi impeditur, uti intestina in abdomen recondita annulo compresso retinentur. Cæterum tumor hic digitæ impressio-nem per aliquod temporis spatium conservat, nullis æger vexatur doloribus, nisi leviores quandoque in lumborum regione adsint, quos a funiculi pressione derivamus. Tu-men quandoque vasa testiculum adeuntia, inæquali vero semper gaudent figura, renituntur digito prementi, nec indolens est tumor, quem efficiunt.

### S. VIII.

Cum dicta sequentem quandoque speciem conjunc-tam esse supra retuli, quæ in tunica communis locum habet. Ex cellulis funiculi propriæ ruptis & maxime aqua distentis hanc recte derivas, veritatique mihi proximum esse videtur, priorem in hisce cellulis natales semper ducere, alteramque temporis successu formare. Hæc etiam suadet accuratius harum tunicularum examen, quum tenuis admodum illarum cellularum compages sit, intra tunicam communem firmiorem inclusa. Characteres ab illis in præcedenti §. allegatis vix differunt, nisi quod latiorem habeat basin, & superiorem testis partem cum epididymide involuat; ultra vero aquam intrare cellulæ tunicæ vaginalis propriæ testiculi firmius adhærentes non sinunt a); sic & hæc a vera distinguitur hernia, ubi tota

d) POTT I. c. pag. 55. Durch gelinden und anhaltenden Druck scheint sie allmälig nachzugeben oder hinauf zu gehen, seltt aber augenblicklich wieder herunter, wann der Druck aufhört, und zwar eben so frey in einer liegenden als in aufgerichteter

*Leibesstellung*

a) NEUBAUER Diff. c. §. X. Nec aër ibi nisi valentiori flatu penetrat.

testis massa extra saccum reperitur; varia, quæ § IV. recentui signa, spuriam a vera distinguendi, hic quoque spectant.

Sedet in dictis tunicis & quarta species; saccus singularis ratione alibi examinanda formatus liquoris receptaculum sistit, & hydrocelen cysticatam producit b). Nec veteres hanc ignorarunt, ALBUCASIS optime illam distinguit, refert enim: Et quandoque est in panniculo proprio, quem sibi præparavit natura in parte ovi, ita ut videatur oyum aliud c). ÆGINETA vero: Subinde peculiari tunica comprehenditur humor, vocantque hoc malum chirurgici in superadnata ortum — & alio loco — at si humor in membrana superadnata coierit propter contractionem ex omni parte, & rotunditatem, tumor alterius testiculi imaginem exhibet d). Figuram oblongam illi tribuit Cl. POTT e), quæ tamen magis sequentem determinat speciem in processu peritonæi membranaceo habitantem. In tumore ut plurimum tenso nulla sentitur fluctuatio. Renititur is ita, ut sonum fere edat, si digito pulsatur, sine ullo dolore est, nisi in majus volumen auctus vicina premat, mox altiore occupat locum, ut ejus pars intret annulum f) mox testiculo adiacet, & tunc tertium quasi constituit.

### §. IX.

Ultima denique species processum peritonæi membranaceum replet, qui extremitatibus coalitis tumorem sistit

b) POTT l. c. p. 72. *Wann eine den Namen einer Cystischen verdiinet, so ist es diese.*

c) Lib. II. Cap. 62.

d) Lib. VI. Cap. 62.

e) l. c. p. 74.

f) Cel. BERTRANDI tales refert observationem in *Mem. de Chir.* Tom. III. p. 93.

sistit oblongum, renitentem, doloris expertem, nulla corporis positione variantem, nec cum abdomine communicantem; facili negotio a Bubonocele distinguitur, præcipue si aliquod inter hanc cavitatem aqua repletam, interque annulum relinquitur spatium, si vero totus repletur canalis, & in peritonæi saccum continuat, jam difficilius erit examen, quum levi pressione evanescere vides tumorem, sicque herniam veram inveniri, licet ille multo citius redeat, nec murmura audiantur, quæ observare solent, dum intestina reponunt — tactus experti omnem movebit lapidem — figura eadem erit, ac in antecedenti, quæ vero in pyriformem abit in tertio casu a), ubi cum tunica vaginali propria testiculi unum idemque efformat cavum, & ut termino utar, hydrocelen congenitam sistit. Quæ circa primam allegavi speciem, huc trahas, qui enim simplicem rite distinguere norit, de composite morbo non amplius dubitabit. Refluit aqua in abdomen presso tumore, aut adæquata partium positione, nisi annulus nimis strictus id impedit, via licet aperta; canalem hunc antea concretum aquam, cuius copia in tunica vaginali testis propria indies augetur, iterum aperiri posse, probabiles reddunt observationes b), quæ minorem ejus portionem apertam allegant c).

Qua tandem ratione hydrocele intra testis albuginem dignoscitur? Incerta videntur omnia, quæ de testiculo alias fano, aquam continentem referuntur, qualis ergo diagnosis, quum experientia destituamur.

## C

- a) Conica describitur in Diff. cit. de *Hernia congenita*, qualis omnino erit, si minor aquæ quantitas in cadavere tunicas non ex omni parte distendit Obs. IV. p. 9.
- b) Hanc haudimus sententiam ex Diff. cit. verbis, quæ p. 26. leguntur: Hic autem &c. MORGAGNI de *Caus. & sed. Morb.* Ep. 43. art. 22.
- c) Vidi quoque canalis hujus partem in cadavere apertam, licet minor aderat aquæ portio. Frustra tentavi reliquam flatu distendere.

§. X.

Ad causas hydrocelen producentes dum nunc accedo, quædam de generalioribus afferre animus est, quæ speciatim ad hanc, vel illam disponunt, paucis subjunctorum. De proxima omnes convenient, quod illa in collectione aquosi liquoris existat, sed de remotis non ita consentiunt. Quicquid secretionem aquosam augere, resorptionem vero fluidi hujus impedire potest, necessario morbum nostrum in diversis suis locis producit. Abundantia feri, vel lymphæ, vasa nimis repleta, stimulus localis auctor, partium collisio, percussio a), pressio, ut frequentissimæ causæ considerantur b); reliquas vero, quas proposuerunt rationes, nondum confirmavit experientia. Guido hepatis & lienis vitia c), DODONÆUS renem sinistrum male affectum accusant d), mutari sanguinem propter imbecillitatem particularum, in aquosam serofam, & inutilem substantiam putavit EGINETA e). Errores in victu f) & præcipue nimiam potionem hoc refert AETIUS, rupturam vasorum lymphaticorum in causarum ordinem ponunt plurimi g); hydatides denique testiculum, atque ac funiculum occupantes, aut ipsas aut earum reliquias h) se vidisse affirmant recentiores, de qua sententia Iuculentius differere necesse erit,

a) AETIUS cum FABR. AB AQUAP. L. I. Cap. 27.

b) HEIST Diff. cit. §. 19.

c) Tr. II. Dec. II. Cap. 7.

d) vid HILD. Cent. IV. Obs. 66. P. Franco Ch 21.

e) Lib. VI Cap. 62.

f) HOFFMANNUS in vol. Diff. phys. med. Lugd. Bat. 1713. Gallos inquit infestant febres atque lumbrici, hydrocele & farcocele, quos tumores ab immodico nucum, castanearumque usu provene arbitror.

g) AETIUS, ETTMÜLLER in *praxi* Part. II. p. 415. HEISTER l. c. §. 20. PLATNER in *chir.* § 854. ELSE on the *Hydroc.* p. 2.

h) ELSE earum reliquias vidisse credit in infantibus ac adultis.

ne autoritate in errorem ducamur, & morbo tribuamus;  
 quæ sanissimo in statu reperiuntur; de Morgagniana hy-  
 pothesi hæc intelligi volo. Statuit nempe Celeb. Vir plu-  
 rimas hernias aquofas dissilientibus hydatidibus oriri. Imo  
 cum meas, inquit, omnes attentius recolo observationes,  
 nullam invenio, quæ non indicet, eas, quas ego intra  
 vaginalem tunicam examinavi, hydroceles a disruptis il-  
 lic hydatidibus originem habuisse *i*). Veras quandoque  
 adesse hydatides negare nunquam auderem, cum non vi-  
 deo, quare non æque bene hic, ac in aliis corporis par-  
 tibus existere possint, sed corpora, quæ ut earum reli-  
 quias considerat, nequaquam talia esse probare nitor. Vi-  
 deamus quam exhibet descriptionem: — parvula quæ-  
 dam quasi vesicula crassis, ut si contracti in se fuissent,  
 parietibus effecta, proptereaque jam prope modum soli-  
 da, carneique coloris; ea per pedunculum ab albugi-  
 nea tunica pendebat, qua hæc prope majorem epididy-  
 midis globum ventrem testiculi convestit *l*); alia in Epi-  
 stola, animadverte, inquit, parvam quandam fimbriam  
 ex albuginea pendentem, qua propius majorem illius  
 globum testiculum convestiebat, quam fibram pro dis-  
 ruptæ hydatidis reliquiis accipiendam esse censui *m*) —  
 credidit, quod tale corpusculum solidum nunc, ac car-  
 neum, magnæ hydatidis posse esse vestigium — & quæ  
 diu aquam dedisset, tametsi denique a longo tempore in  
 eam se contraxisset exigitatem *n*) — Unicum adhuc illi  
 erat dubium, vedit enim idem in sanissimis quibusdam  
 testibus, ubi ne aquæ guttulam continebat tunica vagi-

## C 2

*i)* J. B. MORGAGNI de sedibus & causis morborum, Venetiis 1761.

L. III. Ep. 43. art. 16.

*l)* Epist. XXI. art. 19.

*m)* Epist. XLIII. art. 17.

*n)* eadem Epist. art. 23.

nalis, quomodo hoc explicuerit, dicam; pūtavit nempe hoc dependere à resorptionis negotio, quod in variis varium habet gradum, a vetustate talium vesicularum disruptarum, aque illarum magnitudine & pluritate o). Quid his opponendum credidi, paucis habeto. Monita optimi in anatomicis præceptoris circa hanc albugineæ appendiculam, quod præter ejus existentiam in omnibus fere continuo obseruatam, nihil certi sit cognitum, me attentum fecerunt, ut quoque in hac materie tractanda occupatus, hanc appendiculam scrutarer; secui hunc in finem repetitis vicibus partes, quibus adhærere solet, & ne unicum vidi testiculum, qui non uno saltem, raro plures aderant, tali gauderet corpusculo, quale nobis descripsit Cl. MORGAGNI, eidem illud insidebat loco, ejusdem erat coloris, pedunculo non semper suspendebantur, nec substantiæ testis infigebantur ejus radices, sed albugineam folam intrabant.

### §. XI.

Ad causas, quæ præcipue hydrocelen tunicæ vaginalis propriæ testiculi generant, hydatides referunt, de quibus antecedenti paragraphe dicta sufficiant. Rupturam vasorum lymphaticorum hanc produci posse speciem negavit POTT, alias vero inde oriri posse lubenter concedit a). Virus venereum, quod his in partibus antea fævii, in fui memoriam hanc relinquere refert ASTRUCH b). An compressiones testiculi fortiores in subjectis strictioris habitus farcoceles, laxioris vero hydrocelen efficiant? Hydrocele tunicæ vaginalis communis, & propriæ funiculi vexantur infantes, quibus testes difficilius descen-

a) l. c. p. 143.

b) de Morbis venereis T. I. p. 298. huic sententiae addictum reperio aut. Diss. de Hern. cong. §. 13. POTT l. c. obs. 2.

dunt c); eadem ratione agunt vestes, fasciæ, pilæ nimis adstrictæ, dum circulum sanguinis impediunt; nec herniæ veræ ob spermaticorum valorum pressionem omni culpa carent d). Quæ cysticatae originem spectant, quomodo præcipue cystis illa formetur, illi non immoror explanationi, quum Cl. MONROO hypotheses late exposuit, quas varii excogitarunt e). Congenita plura communia habet cum vera ejusdem epitheti hernia; per aperatum fœtus processum peritonæi membranaceum in tunicam testis vaginalem propriam descendet liquor, qui abdominis viscera irrorandi ergo secernitur, nunc in majori copia collectus, aut aqua in eadem vaginali tunica dum quotidie augetur canalem dilatabit concretum f), aut casu adhuc apertum intrabit. Illam testiculo, & epididymidi propriam a varicocele originem traxisse veritati consentaneum & vasa spermatica turgentia rem probabilem reddunt.

### S. XII.

Prognosis, cuius tractationem nunc suscipio, non multum variat ratione specierum. Universus corporis habitus, causa unde originem traxerit, juncta saepius mala magis considerari debent, quam morbus ipse, qui non facile mortem infert a), sed quotidie in majus volumen auctus varii generis producit molestias, urinæ excretionem reddit difficiliorem, sobolis impedit procreationem, dolores facit leviores, quum in incedendo incommodum creat, & ni tunc tollatur, ob perpetuam

C 3

c) Mém. de Chir. T. III. p. 91.

d) PLATNER in Chir. §. 864.

e) Essai sur l'Hydropisie §. 16. & 97. not. n).

f) vid. Diff. cit. de Hern. cong. §. 13.

a) Hoc valetudinis genus fere sine periculo est: dicit PLATNER in Chir. §. 865.

frictionem inflammatur scrotum, cuius sequelae omnino timenda sunt. Si aqua evacuatur & iterum reddit, pejor fit morbus teste SEVERINO b). Si per longius temporis spatium intra tunicam vaginalem testis propriam moratur, gravius ut innuunt, malum, herniam nempe carnosam producit, aut testiculus mole fit minor, ut nullius amplius fere usus esse possit. Varicocele exinde surgere valet, ut temporis successu cum duplici morbo militandum. Cysticata si faccio hernioso incumbit, an intestina premendo nocebit? Congenita hernias veris viam parat, ut leviori quoque nixu descendant abdominis contenta, cavumque, quod aquam continebat, repleant.

### S. XIII.

Aggredior nunc curandi viam, quæ vel medicamentis, vel manu & instrumentis absolvitur. Interna &que ac externa venditant remedia, quorum integrum exhibet catalogum Cl. HEISTER a), priorem classem constituant laxantia & diuretica b), posteriorem vero adstringentia cum discutientibus c). Indeterminata hydroceles denominatio in causa fuit, ut talia, quæ omnino in scroti hydrope cum optimo adhibentur effectu d), indifferenter ad omnes, quotquot occurrabant herniæ aquosæ, laudarint. In recenti malo, ubi tunicae adhuc tenues minorem aquæ portionem includunt, topica sèpius

b) M. A. SEVERINI de efficaci Medicina L. III. Francof. ad Mœn. 1646. *Pyrotechn. chir.* L. II. B. I. C. 76.

a) in Diff. §. 34. adde quæ SALICETTUS habet in *Chir.* Cap. LI.

b) FABR. AB AQUAPENDENTE I. c. -- præcipue Salsaparillæ decocatum suadet.

c) Hec quoque adhibentur operatione antea instituta, ut post monebo. Externe præcipue applicantur aqua calcis cum sale ammon. maritoto, aqua vegeto mineralis, emplastra saturnina (quæ jam Salicettus suadet Cap. 51.) Spir. saponacei, lixivia alkalina.

d) HEISTER I. c.

omnem absolvere curam, in congenita infantum praecipue observavi; in inveterata & praesertim cysticata nihil quidquam de illis sperandum erit *e*). Quid autem vetat medicamentis uti, antequam ad operationem progressiamur, cuius diversas explicare rationes vastum nunc offert campum.

**§. XIV.**

Dum varias, quas proposuerunt, emendaruntque methodos proponendi animus est, in limine monere necesse erit, communissimam hydroceles speciem vix omnia spectare, quae in hunc finem scripta leguntur; plurima tamen in reliquarum cura locum habere, rerum gnarus perspiciet.

In palliativam & radicalem distinctio minus accurata videtur. Casu, variis circumstantiis aqua non reddit, licet priorem instituerimus, & non raro iterum colligitur, licet methodus posteriori classi annumerata adhibita fuerit, ut postea evincam Indicatio duplex *a*) huic divisioni ansam praebuit; alteri solummodo respondet palliativa, utriusque vero satisfacere debet radicalis cura.

Quomodo igitur evacuant aquam? Perforatur cavitas triplici ratione, ut liquor effluat; phlebotomo, scalpello, & acu triquetra. Si autem per illam viam (medicamenta scilicet externa) non consumitur aqua, perfora bursam testiculorum cum flebotomo, & extrahe aquam — sunt SALICETTI pracepta *b*). SEVERINUS phlebotomum firmiores suadet, nisi laxitas scroti scalpellum

*e*) In hydrocele confirmata nihil praestabunt topica dicit ETTMÜLLER  
vid. BONETI *Polyalath.* T. II. Genev. 1691. L. IV. C. 71.

*a*) Ut eliminetur fluidum, 2) ut ejus regeneratio impediatur.

*b*) Chir. Cap. 51, Guido quoque phlebotomum adhibuit. Tr. II. D. II.  
Cap. 7.

desideret c). Cutis crassa, membranæ occalentes re-  
jiciunt talem incisionem; reliqua incommoda, quorum  
plurima cum sequentibus communia habet, recensendi  
non operæ pretium erit, cum non amplius in usum tra-  
hatur, nec inter veteres multos habuerit sectatores.

Scalpellum in frequentiori erat usu; simplici recen-  
tiores anceps substituunt, uno ictu tegumenta cum facco  
discidentes d). Nulli dubium erit circa ejus præstan-  
tiam, si incommoda, quæ phlebotomus habet, pericula,  
quæ acus triquetra usus minatur, attente considerat.  
Repetita sectione dolores augeri videntur, magis tuto  
operari experientia patet, ne dicam de illis casibus, ubi  
signa dubia dubios nos reddunt, annon farcocele adfit.  
Apertura quæ cultello fit, digito sat spatiis offert, ut is  
testis examinet conditionem. Nec defunt objections.  
Aqua foramine facto effluit, non amplius extenditur tu-  
mor, collabuntur latera, quid inde? en scrotum statim  
se corrugat, in se quasi redit, orificio ejus non ulte-  
rius respondit illi in facco, quod locum mutare non  
potest, potius ejus parietes plicantur, aperturam aliquatenus  
claudunt, sic aqua adhuc effluens cellulosa circum-  
jectam legit, aliumque producit morbum e); quo-  
modo huic obvenire tentarunt brevi videbimus. An ma-  
jor gangræna metus facta incisione, quam perfora-  
tione f)?

### §. XV.

Operatio, quæ abdomine liquore replete, recepta-

culo urinæ majori ejus portione distento, instituitur, in

nostro

c) de Paracenthesibus Cap. 14.

d) PLATN. in Chir. §. 866. præstat vero seapello uti ancipi.

e) vid. POTT l. c. p. 128.

f) Quod observationes, quæ POTT circa scroti hydropen recenset, affirmare videntur.

nostro illi analogo morbo quoque peragitur. Paracethesin, facillimam, nec tironibus chirurgiæ ignotam encyclopediam describere non immoror, qua acum ut plerumque triquetram, sua inclusam cannula, in cavitatem, quæ evacuandum continet fluidum, intrudimus. Instrumentum hic paulo plenius esse debet, quale CELSUS describit, ut tertiam digiti partem latitudine mucronis implete a). Comprimitur moderate scrotum versus locum, qui perforari debet, superior ejus pars, si vis, ligatur, & instrumenti apex intropellitur, testiculum ne spectet, probe cavendum. Lædi enim facillime constat b), si integumentorum & membranarum crassities tantam requirit vim c), ut illis pertusis statim manum retrahere a nobis nequaquam dependeat. Evitabis hoc periculum, si tunc acum adhibes, quando tegumenta scalpello fuere discissa, uti Cl. HAY proponit, qui simul suadet, acum adhibere non triquetram, sed figuræ oblongæ, cum ejusdem formæ tubo, cuius inventionis gloriam claro olim chirurgo Edimburgensi nomine BELL tribuit d). Sed & hic valeat veterum sententia: Quo simplicius, eo melius, nec augeamus instrumentorum numerum. Si tibi non metus ob tunicarum duritiem, perfora, ut in paracethesi perforari solemus, si vero inveteratus foccus difficilius transitus acum prædicere videtur, scalpellum adhibe, & — si impeditur egressio aquæ — tunc oportet, ut intromittas in vulnus pennam aut instrumentum, quo

## D

a) PLATNER Diff. cit. §. 17.

b) *Essais d'Edimbourg* Vol. 5. art. 22.

c) HEISTER Diff. §. 32. quinque vel sex linearum & quod excedit crassitudinem observavit, quales etiam vidi membranas in observatis relatis; cartilagineas quasi illas reperit GOOCH. vid. *Mem. de Chir.*

T. V. p. 655.

d) *Examen sur les différentes méthodes touchant la guérison de l'hydrocèle sans logo & anno.*

extrahitur aqua hydropicorum e). Quid tali adhuc op-  
ponendum curandi methodo, nisi quod sit palliativa, de  
qua sequenti paragraphe notanda proponam, interest  
enim scire, in quibus subjectis requiratur, nec altera,  
quis sit locus aperturæ, quæ in ipsa operatione cautelæ,  
quibus comitetur symptomatibus, quo tandem apparatu  
opus habeamus.

### §. XVI.

Nullius sane momenti quæstio esset, si examinare  
vellem, ubi cura palliativa possit adhiberi; in omnibus  
fere hominibus hydrocele simplex evacuatur sine pericu-  
lo, nisi summa humorum corruptio, marasmus jam se-  
nilis gangrænam cum sphacelo metuendam esse præsa-  
giunt; hic suspensorio cinctus æger reliquas per vitæ  
dies tumorem portare debet. Aliter res se habet in deter-  
minandis subjectis, in quibus radicalis curatio absolute  
non tentari debet. Corpora aliis vexata malis, cacochy-  
mia, venerea, scorbutica labi infecta, vitia quandoque  
localia a), tempestates, aut plane aut per aliquod saltem  
tempus operationem prohibent. Nec illi laudandi, qui  
palliativam in omni casu radicali præferunt b), juveni  
enim satius erit, operationem subire, quæ integrum re-  
stituit sanitatem, quam tot vexari vicibus, tota vita one-  
rari molestia, quæ licet parva, tamen majus inde oriri  
malum metuendum est; nec alterius fententia statim sub-  
scribendum, qui omnem radicitus curare jubent c). An  
incipientis morbi curatio punctura tentanda? Sed datur  
tamen tempus, quo palliativanon ulterius invenit locum,

e) Sunt verba ALBUCASIS Lib. II. Cap. 62.

a) Ut herniæ veræ, testiculus venereus, fistulae &c.

b) In quorum numerum refert Sharpium Cl. HEISTER Diff. §. 31.

c) KALTSCHMIED in Programm. cit. Toties igitur &c.

d) Mém. de Chir. T. V. p. 670.

Cl. SABATIER de hac re loquitur *d*), sequentia nempe tradit signa, quæ si adsunt radicalem desiderant curam: volumen nimis auctum, dolores intensiores & liquor sanguinosus, aut purulentus. Quo apertura fiat, locum determinat situs testiculi ex anatomicis discendus *e*). Hæret vero is in parte posteriori & superiori, magis minusve pro facci expansione, hujus enim fundus descendit, non ita testis, qui funiculo firmatur. Si ergo in loco inferiori & anteriori rite perforatur, nihil quid ulterius observandum, quam ut aqua scrotum non intret, quod canula ut jam monui impeditur; addo hic veterum hypothesin, qui non una vice aquam emittendam esse crediderunt, si magna ejus adsit portio *f*).

Ut plurimum nulla alia sequuntur symptomata, quam quæ venæctionem sequi solent, sed adversos quoque notarunt eventus. Evolvas Anglorum celeberrimos POTT & SHARP, & gravia mala, dira symptomata produxisse hanc operationem offendes. Necessariam sæpe radicalem reddidit curam, dum hæmatocelen produxit, suppuratione cum vicinarum partium inflammatione, ut dilatentur vulnera, requisivit, sæpius repetitæ excrescentias carnosas fungosaque tunicae vaginalis propriæ testiculi Cl. VOGEL tribuit *g*).

Emplastro quodam tegitur vulnusculum, sit nunc illud de Cumino *h*), sit aliud, suspensorio immittitur scrotum, nec impeditur æger res suas agere.

### D 3

*e)* CELSUS vero dicit: Si puer sit qui laborat, aperiendum in inguine ac surfum pellenda aqua, si adulterio in imo scroto & educta aqua.

*f)* RHAZÆ ad MANSOR. *Divis.* L. I. C. 101. Quodsi fuerit plurima & magna valde tunc non oportet, ut evacuetur in die una, sed in duobus diebus, postquam ægro datum fuerit aliquid, quo confortetur, fortasse enim faciet accidere fincopim.

*g)* VOGELS *Beobachtungen Obs.* XI.

*h)* Quod ut plurimum adhibere solebant.

## §. XVII.

Cum sic dicta palliativa, quam hucusque recensuimus, methodo, casu quandoque redditus mali fuerit impeditus, variis encheiresibus & medicamentis efficere tentarunt, ut id semper obtineretur. Inueni compresserunt, ne aqua iterum descendenter ex hypochondriis, ejus enim fontes ibidem esse sibi persuaserunt veteres, id quod ex Saliceti verbis patet: haec enim ægritudo sæpe recidivat & semper redeas ad perforationem, & constrictionem meatus, per quem descendit ad inferius, & perfecte curabitur a). Quum perforatione inflammatio fuscitaretur, major ejus gradus incio & nolente chirурgo, radicalem produxit curam, hinc eandem fuscitare tentarunt iisdem mediis, quæ antea, licet alium in finem, applicuerunt. Fistulam enim argenteam plumbeamve immisserunt veteres, ut diutius retinerent partem apertam, dum illam per plures reliquerunt dies b), hodierni vero, ut latera inflammati facci concrescant, in votis habent. Cannulam, qua acus triquetra tegitur, MONROO reliquit c), quam cum nimis inobsequenter observaverit POTT cum Cereo (Bougie) commutavit; sed summe incertam hanc, illam vero periculi plenam esse ipse fatetur d). Dura non ulterius introducunt, sed fluida immittunt per aperituram facci factam, quid inde præstiterint, tunc recensabo, quum de radicali cura agam. Hoc autem adhuc monendum esse puto, quod effluxis aquis varia medicamenta applicuerint extus & ægro propinaverint, ut aqua-

a) in Chir. Cap. 51. & iterum: liga ipsum bene firmiter, ne aqua descendat per didymum vel viam ad testiculum.

b) GALEN. Meth. C. 13. L. 14. FABR. AB AQUAP. Op. ch. L. V. C. 75.

c) *Essais med.* d' Edim. Vol. V. art. 22.

d) I. c. pag. 147.

rum redditus impediretur. Hunc in finem adstringentia, roborantia, discutientia in usum traxerunt, fortiora purgantia, & diætam sicciam præscriperunt. Illorum formulas exhibet FABRICIUS AB AQUAPENDENTE e), horum vero catalogum SALICETTUS f) recenset.

### §. XVIII.

Injectio liquoris intra tunicam vaginalem testis propriam facillime peragitur, quam nullus veterum in usum traxit, ut MONRO, Chirurgus Anglus, primus fuerit, qui incisione facta spiritum vini injecit, ast ob gravia quæ eam methodum symptomata secuta sunt, loco illius meliori cum successu vinum rubrum adhibuit, quod MONROI filius memoriae mandavit a). SHARPII simul confirmatum fuit experientia, quod spiritus vini injectio sit periculi plena b). Translit in Galliam quam Angli rejeciebant, methodus c). Vini spiritus eosdem edidit effectus, liquorem hinc mutarunt, mutavit & illum Cl. SABATIER, dum vinum rubrum adhibuit. Alii aliis utebantur liquoribus, adstringentibus vel rodentibus. Infuso rosarum rubr. cum vino, solutione lapidis caustici, decocto rosarum rubr. cum paoco aluminis maritato, vini rubri pij, & aquæ yuln. pj. cum additis Camphoræ gr. xx. Cl. SABATIER huic methodo quam maxime favet, nec illi contradicere auderem, nisi casus, quos re-

D 3

c) Lib. I. Cap. 27.

f) l. c.

a) *Essais sur l'hydropisie* pag. 247.

b) *Observat.* chap. 9. cas. 4.

c) POTT l. c. p. 142. Einige von diesen Mitteln sind nunmehr, zum Glück für das menschliche Geschlecht, nicht länger im Gebrauch, da man gefunden &c. von dieser Art sind das Brennen, das Unterbinden und das Einspritzen.

fert, ut suam confirmet sententiam, contrariam affirmarent. Mox rediit malum in hoc ægrotō, mox symptomata augebāntur in alio, ut de vita periclitaretur. Venæctiones fæpius repetitæ, cataplasmata anodyna tandem mitigabat inflammationem auctam doloribus intolerabilibus sifpatam d). Graviora sane observavit symptomata, quam nos unquam in ipsa excisione vidimus. In inverterato morbo nunquam locum inveniet, an in recenti ulterior docebit experientia.

### §. XIX.

Cauterium tam potentiale, quam actuale in nostro quoque morbo in usum traxerunt. Rationem illud adhibendi describit ALBUCA'SIS: Accipe cauterium cultellare subtile, & feces eo cutem testiculorum, & debet esse lignitum, quemadmodum narravimus, donec detegatur siphac album continens aquam, tunc accipe cauterium secundum hanc formam (quod delineat) assimilatur literæ græcæ τ, deinde perfora eo illud siphac & est lignitum, donec egrediatur humiditas tota, deinde extende siphac uncinis, & excoria cauterio subtili ignito, & incide ipsum a) — ÆGINETA instrumentorum numerum auxit ad duodecim usque b). SEVERINUS perforatoriis ferramentis defensoria addidit, & voluit, quod hominem in opaco conclavi ad cerei lumen ex adverso locatum cubare jubeamus, ut transparentem aquam perspiciamus — c). Si quis claram de his instrumentis sibi formare cupit ideam, inspiciat tabulas, quibus citati autores illa depingunt. De AVICENNA adhuc monendum erit, quod is non tumorem ipsum, sed inguinis regionem cudentibus ad-

d) Mem. de Chir. T. V. pag. cit.

a) Lib. II. C. 62.

b) Lib. VI. C. 62.

c) Pyrotechnia chir. L. II. P. I. C. 76.

grediatur, ut corrugetur pars, ne aqua iterum descendere possit d). Veteres cauterium reliquis, quæ tradunt methodis præferunt e), & certo recidivam impedire promittunt f), cui facile subscribo sententiæ, dicta enim ratione omne cavum destruitur, nec liquoris collectioni locus datur. Cum vero pyrotechnia nôstris temporibus, quibus præcipue jucundam desiderant methodum ægri, rarissime adhibeatur, potentiali actuale substituerunt, quod sane mitior videtur, sed an revera sit, alia erit quæstio.

### §. XX.

Actuali Cauterio variis rationibus utebantur Guido ejusque contemporanei. Ipse enim primo aperturam fecit phlebotomo, & aquam extraxit, deinde ad consumendum folliculum modicum arceneci apposuit cum xylo seu cotone. Nonnulli vero, idem recenset, (ut magister Petrus de Orlhiaco) caustico & corrosivo super peccinem locum aperiunt usque ad didymi vacuitatem, postea perforando caudam specilli usque ad locum aquæ ipsam extrahunt, & post casum escharæ consolidant & sigillant a). Vix hujus methodi mentionem faciunt, qui eum sequebantur, nec multum in usu fuisse videtur. Recentioribus temporibus Cl. HEISTER illam exactius descripsit, & ipse exercuit, ut videmus ex Dissertatione, jam saepius citata, qua ejus defensionem suscepit. Ab hoc tempore multis habuit asseclas multosque

d) FABR. AB AQUAP. Lib. I. C. 27.

e) ALBUCASIS l. c. Et scias quod haec operatio salubrior & longinqua fluxu sanguinis, & melior quam operatio cum sectione.

f) SALICETTUS Chir. L. I. C. 51. Et scias quod cauterium — est de melioribus rebus, quæ recidivam impediunt & quæ curam talem rectificant.

a) Tr. II. Doctr. II. C. 7.

simul obtrectatores. In Anglia præcipue huic curandi rationi famam conciliavit Exerc. ELSE b), qui perversæ illam adhibendi rationi omnia tribuit mala, ab observatoribus annotata; hinc varia mutavit, & ut credit, fere ex omni parte absolutam reddidit. Limites propositi transgrederer, si HEISTERI & ELSE methodos verbotenus recensere vellem, ideo more consueto ex illorum scriptis præcipua momenta tradam c). Emplastrum fenestratum imposuit HEISTER, foramen duos pollices longum, & digiti latitudine rodente replevit, linamentis carptis & emplastro integro texit, & totum apparatus fascia quatuor frondibus firmavit. ELSE vero parti anteriori & inferiori scroti applicuit causticum rotundæ figuræ; dimidi pollicis circiter diametri, quod ope suspensorii in situ tenetur. Quale medicamentum imposuerint, plurimi silentio prætereunt d). An determinari potest tempus, quo causticum tolli debet? An tegumentis communibus erosis nova portio tunicae vaginali testis propriæ debet imponi e)? An tunica vaginalis in suppurationem abit, solvitur, & per ulcus fecedit f)? An si id verum est, albuginea non afficitur? Quæ contra caustici usum opposuere, quæque illis sint respondenda invenies in Diff. Heisteriana, ELSE vero præcipue legi meretur, qui dubiis,

b) *An Essay on the Cure of the hydrocele of the tunica vaginalis testis.* London 1770.

c) HEISTER in Diff. §. 62.-63. ELSE l. c. aut recensionem Richterianam. Chir. Bibl. 1. Band. 1. Stück. aut *Examen sur les différ. méth. &c.* par HAY.

d) Guido arcenecum adhibuisse dicit, in herniis veris autem arsenicum applicuit Tr. VI. Doct. II. C. 7. POTT pastam causticam proponit. Moxam quosdam imposuisse fidem facit BERTRANDI *Mem. de Chir.* T. 3. p. 117. lapis infernalis aliis in usu est vid. VOGELS med. und chir. Beobacht. p. 40.

e) vid. POTT l. c. p. 155.

f) Utī ELSE rem explicat, vide loca cit.

biis, quæ POTT movet, respondit, sed sane non ita, ut nos eadem in medium proferre hæreamus. Concedit enim quod sua methodus non semper votis respondeat, nec radicalem producat curam, licet hoc de omnibus methodis valere contendat, cui sententiæ ego nequaquam subscribo, nec experientia id finit, quis enim unquam excisione rite peracta redditum vidit? quæ nec tantos dolores creat, ac causticum, quod easdem partes sensibiles per plures erodit horas, quæ scalpelli opera uno ictu discinduntur; & jam sæpius expertus sum, setaceum in nucha homines facilius ferre, quam minus vesicatorium. In hominibus sanis & robustis certiorem dubiæ præferamus methodum, in reliquis vero nullum etiam causticum erit applicandum g)

§. XXI.

Malæ indolis liquorem metastatice hic deponi, ac benefica natura eliminari, hinc ejus fluxum non statim suppressendum esse, idea veterum erat, quæ usum turundæ introduxisse videtur. SALICETTUS jam hujus methodi mentionem fecit, licet nullam explicationem dererit a), GUIDO de illa quidem non loquitur, dum de cura herniæ aquosæ agit, sed de apostemate aquoso b) ingenere verba faciens dicit: Teneatur autem apertum (apostema) impositis turundis — c) & alio loco — non est consilium melius, quam ut ferro aperiatur & post de-

E

g) VOGELS med. u. chir. Beob. p. 40. in nota — denn ich habe betrübte Folgen davon gesehen, indem sich durch solches Spielwerk bey scorbutischen Personen krebſichtige Geschwüre entsponnen.

a) in Chir. L. I. C. 5. Et ponas in foramine tentam, itaque possis libere quod erat intus extrahere.

b) Tr. II. D. I. C. 4. occurrit apostema aquosum saepissime in testiculis.

c) Tr. VII. D. I. C. 3.

tergeatur, & more ulcerum sordidorum curetur — d) ad ulcera autem sordida præcipue turundam suadet e). An ergo ad sæc. XVI. ejus inventio referenda f)? FRANCO, qui hanc describit methodum, illam fetoni præfert g). Thevenin loco ferri cauterium antea adhibuit h); Turundas diversis ex rebus fabrefactas introduxerunt, FRANCO varias annotat i): une tente de charpie, ou estoupes, ou linge, ou esponge; alii plumaceola filo cerato affixa, tria quatuorve, alii ex cera paratam sumserunt; figura quoque variabat, caninulata aut duplicata a GUIDONE describitur, ut pus exeat k), lata magis, quam rotunda ea erat a FRANCO adhibita, oblongam & apice incurvam habet MARINUS l). Nec eodem inciderunt loco, aut enim inferiorem scroti partem aperiebant, aut superiorem, uti RUVSCHIUS solebat m), a quo hanc methodum HEISTER denominat n), altius adhuc & mox sub inguine secuit MARINUS, qui quoque varia præscribit, quibus inungi debeat. Nostro ævo nunquam adhiberi constat, nisi illam huc trahere vis methodum, quam MONROO tribuunt, & de qua in superioribus dictum fuit. Cl. WARNER expertus est, hanc methodum vix unquam votis respon-

d) Tr. II. D. I. C. 4.

e) Tr. IV. D. I. C. 4.

f) Ut Cl. SABATIER in act. par. chir. T. V. qui ratione SALICETTI dicit — Auteurs, qui n'ont pas dit un mot de la méthode en question.

g) Ch. 21.

h) Mém. de Chir. I. c.

i) GUIDO T. VII. D. I. C. 3. — turundis & notis e cera simplici, aut in aqua malaxetur euphorbium, vel scammonea, vel cold cynthis, aut elleborus. —

k) Tr. IV. D. I. C. 4.

l) in prædica delle principali operazioni di Chirurgia, in Roma 1723. C. 14.

m) vid. ejus Advers. ann. Dec. II. p. 22.

n) in Diff. cit. §. 45.

dere o), nec POTTIO successit, licet plurima, quæ recenset incommoda, æque bene ad setaceum quadrent.

§. XXII.

Castrationem institutam suisse legimus, quæ operatio diros dolores producit, & cum vitæ periculo quandoque conjuncta est, nobilique parte ægrum privat a). In tanta chirurgorum ignorantia & barbarie hanc quasi unicam radicalem methodum pronunciarunt b). Quomodo peragi debeat, PETRUS FRANCO tradidit, qui hac ægrum cito, tutoque curari affirmat c). FALLOPIUS quoque testiculi extirpationem suadet. SAVIARDUS eam instituit, quum omnia scirrhosa reperiit, in quo casu omnino necesse erit tunicali indurata tollere, sed quomodo illa auferenda, nisi ut testis simul exscindatur d). ETTMÜLLER omnem operam chirurgicam vel in punctura, vel in castratione positam esse credidit; sed quia punctura non radicitus malum curat, subinde necesse est, inquit, ut exscindatur testis cum tumore aquoso e). Hydrofarcocoele omnino requirit, ut dicta instituantur operatio, quam Cl. HEISTER quomodo perficienda sit, refert, & de qua omnes autores, qui farcocele tractant, occupatos reperies. Cur vero in nostro morbo locum nequaquam inventiat, rationes addere non erit necesse, quum principiis chirurgiae instructus illam ulterius non exercebit, oleum vero & operam perderem, si cum illis certare

E 2

*o) Cases in Surgery* n. 42. p. 256.

a) vid. Cl. MAUCHARTI proemium Diff. de Hernia incarcerata, Tübinger 1722; prostat in coll. HALLER. Diff. chir. T. III. HEISTER Diff. cit. §. 46.

b) vid. verba ETTMÜLLERI in §, recensita.

c) Ch. 21.

d) Méni. de Chir. T. V. i. c. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28.

e) BONETI Polyalthes T. II. Gen. 1691. L. IV. C. 71. p. 1161.

vellem, qui non amore in proximum, sed argenti cupiditate stimulantur, nec malum, sed hominem tollunt, dum horrendo fane spectaculo, de quo adhuc gloriantur, si versatissimi sunt, testem cum tunicis digitorum ope e scroto evelhunc *f*), niserosque intolerabilibus tormentis excruciant.

### §. XXIII.

Una ex frequentissimis tam veterum, quam recentiorum methodis, setaceum est. Ante Guidonem jam adhibitum fuisse videtur, quum illud ut cognitum & vulgarè remedium proponit *a*). Audiamus ejus præcepta, addam, quæ mutata, quæ correcta fuere. Fit autem, inquit, seto in hunc modum: forcipibus latis, perforatis in parte inferiori vitando sputram scroti usque ad vacuum apprehenditur, deinde acus longa ignita in capite, cuius est seto, per foramen transmittitur, postea extractis forcipibus, & acu seto dimititur, & super ipsum primis diebus oleum cum albumine ovi, aliis vero folium caulis apponitur; agitatur & mutatur, atque dimititur, quoisque aqua fuerit evacuata. Difficultatem forcipes applicandi, perspexit *FALLOPIUS b*), hinc eas adhiberi noluit. FRANCO quoque eorum usum minus probat, acum enim curvam, quæ sola adhiberi possit, præfert, (delineat tamen forcipum figuram *c*). SEVERINUS scalpello aperuit & post laqueum traduxit *d*). HEISTER illam, qua in setaceis vulgo uti solent *e*), GARENGEOT trique-

*f*) Quale exemplum refert Cl. VOGEL chir. Beobachtungen, 10.  
Beob. p. 46.

*a*) GUIDO Tr. II. D. II. C. 7. inquit primo GALENUS cum siphone aut setone aquam extrahere præcipit.

*b*) Mém. de Chir. T. V. I. c.

*c*) I. c. Ch. 21.

*d*) Parte II. de Paracenthesibus Cap. 14. VI.

*e*) in Diff. cit. §. 44.

tram f), BERTRANDI curvam, & sat latam g) acumi in usum traxerunt. Simplicem hucusque methodum magis compositam reddiderunt recentiores. Cl. POTT scripta in omnibus fere chirurgorum manibus versantur, hinc ejus methodum exhibendo tempus non perdam, quan*sæpius mutavit h)*, & cui proxinie accedit alia, cujus inventor celebris quidam chirurgus Edimburgensis RHÆ dicitur i), qui non acum friquetram, sed scalpellum adhibet k), quod præferendum videtur, dum digito per foramen immisso testis conditionem examinandi occasio datur.

Setaceum ipsum FRANCO primus descripsit: *laquelle sera enfilée de fil de soie en huit ou neuf doubles l).* HEISTER recepit linteolum digitii latitudine & pedis circiter longitudine m). POTT filis xylinis, quæ olim adhibuerat, nunc fericea substituit. Diverso loco sectionem inciebant, alii enim versus superiora acum intrudebant, alii autem superius primo incidebant n).

Dissentient porro, dum priores, qui illud adhibuere, setaceum hinc inde sursum ac deorsum movere præcipiunt o); recentiores vero nec posse trahi, nisi magna vi, nobis persuadent, hinc per septimanam &

E 3

f) *Traité des instrum. de Chir.* T. I.

g) in tractatu, quem de hoc morbo T. III. Act. chir. Parif. inseruit.

h) l. c. & alio adhuc libro, cui titulus: *Abhandlungen über verschiedene Gegenstände der Wundarzney*, 2ter Band. Dresden. 1774.

i) a Cl. SABATIER dicitur Roc in *Act. Parif. chir.* T. V. l. c.

k) vid. *Examen sur les différentes méthodes — de l'hydrocele.*  
*Mém. de Chir.* T. V. l. c.

l) l. c.

m) in Diff. §. cit.

n) Ut HEISTER, RHÆ, & alii. HEISTER in Diff. cit. locum figura designat.

o) Omnes hanc tradunt regulam, si POTT, & RHÆ excipis.

ultra in eodem loco relinquunt, & tunc fila soluta unum post alterum diversis vicibus extrahunt; iterum differunt ab illis, qui aut statim post operationem *p)* aut aliquo temporis spatio elapsio setaceum eduxerunt. An digestis inungendum? Si raro suppuratio sequitur, quam POTT nunquam observasse dicit *q)*, licet pauxillum puris effluere concedat; si non trahitur, ut alias in setaceis consuetum est facere, balsamica nullius usus erunt. Major quandoque producitur inflammatio, & vix mitiganda, nec alia ratione, quam ut fila extrahamus *r)*, repetitas instituamus venæctiones, cataplasmata applicemus, nec medicamenta interna negligamus, quæ febris furorem minuant. Illam non ita timendam esse, si eodem loco setaceum permanet, nec illud trahendo nervea irritatur, lubenter concedo, sed quid tunc faciendum, si aliis ex causis major inflammationis gradus oritur, sique permisisti, ut fortius parti adhæreat, dum situm ejus non mutas juxta hodiernorum præcepta, an tunc relinquendum, an vi educendum? Non ubique concrescere latera affirmat DE LATTRE *s)*. Melius omnino succedet in omni infiltrata specie, in qua & citatus Autor, nec non GAREN-GEOT & BERTRANDI id laudarunt, sique confirmarunt jam a Guidone dictum *t)*. MONROO incertum pronun- ciat setacei eventum.

*p)* vid. DIONIS chir. Operat. Dem. IV. Figur. XXIII. Explic. qui hanc methodum ut palliativam considerat.

*q)* POTT Abhandlungen T. II. p. 223. In meiner Curart, sagt er ausdrücklich, wird nichts in Eiter gesetzt, zum wenigsten habe ich dieses niemalen gesehen.

*r)* FRANCO l. c. dans le cas où elle (l'inflammation) sera trop considérable, il faut ôter le seton.

*s)* Journal de Medecine Tom. 32, l. c.

*t)* Setaceum non adhibuisse tunc, quando in xyti inclusa erat aqua dicit GUIDO l. c.

## §. XXIV.

Saccus secundum totam longitudinem simplici inciditur scalpello, latera scarificantur, suppurationis causticis excitatur, postque aliquot septimanias plaga consolidatur; methodus est quam veteres saepius instituere, nostris vero temporibus, ut periculosisissimam dissimilant. Incisio haec vel uno vel duobus fit momentis, satius omnino erit primo tegumenta discindere communia a), deinde tunicam vaginalem testis aperire, foramine, quo digitus sinistræ index immittitur, quo duce sectio ad facci fines continuatur. Forfices nescio cur hic reformidant b); contusio enim si fit, in parte tollenda majorem producet suppurationem, hinc omni respectu scalpello forfices præferendas duco. Hydrocelen majoris quoque voluminis eadem ratione tollere credebant, si saccus antea acu triquetra aperitur, roborantia, & adstringentia applicantur, & nova aquæ portione collecta, operatio instituitur. Albucasis & Halyabbas a medio scroti usque prope inguen aperiunt, & aqua extracta ita didymum consolidant c). Ille quoque futura coniuncta latera, ut testis prolapsum impedit d); alii econtrario linamentis carptis plagam servarunt apertam, ut pus exeat, & medicamenta, quæ ad faciem tollendum inspergebant e), applicari possint. DODONÆUS f), WISEMANN g), HEISTER h), CHESELDEN i), SHARP k), MONROO l) exempla notarunt, quæ

a) Licet contrarium suadeat POTT I. c. p. 160.

b) Vid. HAY *Examen sur les différents* &c.

c) GUIDO Tr. II. D. II. C. 7. Albuc. L. II. Cap. 62.

d) Albuc. I. c.

e) Vid. *Mém. de Chir.* T. V. pag. 671. &c.

f) Incisione facta gangrena fistulit ægrum.

g) Observat singultus tendinum.

h) I. c.

i) HAY I. c.

k) Refert testiculnum abscessus.

l) Exfoliationem testis vidit inde sequi.

sane infelicem habuere euentum, sed an omnes encheires tribuere debemus, quum minus caute corporis habitum scrutati sint, aut vitia non ita facile detegenda illi inhæserint. Abscessus in testibus sæpius sequi posse concedo, latera enim lata revolvuntur & puris exitum impediunt. Ex eadem forsan causa, dum nempe nervea afficitur, dolores colici, singultus, tendinum subsultus in delicatulo, originemducere credam; hanc sententiam affirmare videntur, quum lateribus abscissis, plaga sedulo purgata talia non observamus symptomata. POTT illa multo nitiora tradit, quam reliqui observatores. WISEMANN in eodem subiecto caustico præferendam esse sectionem periculum fecit. In recenti, nec inveterata sufficit tumorem incidere, latera scarificare, & suppuratione tollere, quæ tamen citius uno momento ferro aguntur, si labia crassa & foccus nimis distentus est.

### §. XXV.

Ultimo loco ea methodus recensenda est, quam ter prospero cum successu institutam vidi; quum nulla gravia symptomata subsecuta sint, nec hac methodo rerudescere morbus possit, optimam, reliquisque præferendam esse censeo. Cutis primo juxta omnem tumoris longitudinem incisa fuit, ut, ejus lateribus a tellis tunica vaginali separatis a), in media parte foccus scalpelli idu aperiri posset, quo facto effluxit statim in copia aqua, quam sedulo collegi ad instituenda experimenta. Digitum indicem sinistræ manus in plagam facci introduxit tuhc operator, quo duce facci reliquum forficsis ope b) divisi;

a) Scalpello, non digitis, uti Cl. SABATIER suadet. *Mém. de Chir.*  
T. V. p. 683

b) Alii scalpellum præferunt. POTT. I. ch. p. 169.

Eodem digito prehendit separata a cute facci latera, & abscidit c). Spongiae ope sanguine abluto plaga lintementis carptis repleta fuit, commodo deligationis apparatu desuper facto. Febri obviam venit nitratis medicamentis, enematibus, & venæfectionibus repetitis in corpore robusto, & plethorico. Cæterum vulnus pertractatum fuit, uti res ipsa postulat. Purulenta materies in uno subjecto uno in testis latere sinum formavit in celuloſo contextu, qui autem commoda deligatione pus bonæ notæ fudit in vulnus late apertum. Nuda testis tunica, sedulo linamento carpto aqua vulneraria imbuto custodiebatur, & optima cicatrice vulnus obducebatur. Hic idem operandi modus est, quem proposuit Cl. DOUGLAS d), & in variis Nosocomiis exoptato cum successu in usum trahitur. Non opus autem videtur semper cutem scroti simul abscindere e); illa enim tantam vim possidet, ut rursus, dum cutem diducens causa agere cessat, se contrahat. Illam cutis excisionem tunc faciendam esse puto in senili corpore, ubi illa de sua se se contrahendi virtute multum perdidit, ut elongata nimis consolidatiōnem morari possit. Si exigua modo facci pars exscindetur, nonne tunc consolidata plaga spatiū relinquētur, quod novæ hydroceli ansam præbere posset?

### §. XXVI.

Quæ specialem curandi viam spectant, breviter enarrabo. Si in pluribus cellulis hæret aqua, punctionem non

F

e) Abscidit tantum, quantum illæsis nobilioribus fieri potuit.

d) *A Treatise on the Hydrocele*, London 1755. cuius recensionem exhibent *Comment. Lips.* Vol. VI. P. IV. p. 692. Cl. SABATIER hic præcipue colligit, quæ veteres spectant. l. c.

e) *Mém. de Chir.* T. III. p. 115. POTT l. c. p. 170.

sufficere, ut eliminetur, PORTII experientia constat a).  
 Sectio igitur necessaria erit, si etiam palliativam solummodo curam desideras b). Cum non ita accurate hanc in tunica vaginali communi & propria (ambo enim fere semper junguntur) ab illa in processu peritonaei distinxerunt, videtur, illas observations, quæ de sacco verba faciunt, cuius posterior facies transparens funiculum offerebat oculis, hanc describere c). Omnia & hic tollimus, quæ illæso funiculo tolli possunt, ne nova redeat aquæ portio, agimus uti Exerc. VOGEL egit: ich machte einen Einschnitt in den Hodensack, so dasz die Wunde völlig so lang als das Geschwell war, alsdann sonderte ich die Lefzen der Wunde mit meinen Zeigfingern auf das beste von dem Wasser geschwell, dasz ich es rein in der völligen Grösse vor Augen hatte. Sodann öffnete ich das Geschwell seitwärts der ganzen Länge nach mit einer Lancette, und entlies das Wasser aus demselben. Hierauf führte ich meinen Zeigfinger linker Hand in den aufgeschnittenen Beutel, und mit dem Daum zog ich den Balg steif an, und schnitt das Ueberflüssige von der ausgedehnten Scheide behutsam bey der Samenschnur weg d). PALFINUS medicamentum rodens ferro præfert e), BERTRANDI vero setaceum, qui nec turundam ex oleo & cera paratam rejicit, in morbo inveterato autem quoque excisionem suadet f), quæ etiam instituenda in cystica specie, ubi tota cystis, ut in reliquis tumoribus

a) l. c. p. 64. Obs. 9 - 10.

b) Inquirenda hujus hydroceles causa, si appressione derivanda viscerum, ut sanguis ascendere nequeat, quod etiam in illa specie quam (§. III. in fine) allegavi, ut & in illa intra albugineam testis, refluxcentia & derivantia adhibenda censeo, superque scrotum applicanda, quæ reprimunt, & robortant

c) Qualem designat Cl. VOGEL in Observ. IX.

d) VOGEL l. c.

e) in Chirurgia Cap. XIV.

f) Mém. de Chir. Tom. III. p. 105 - 107.

ejusdem nominis, sine periculo excinditur; tamen observandum erit, annon cystidis posterior pars funiculonimis firmiter adhæreat, tunc enim nequaquam soluendam esse puto, sed suppurationi relinquendam; alias intollerabiles dolores creat, uti ex relatione curæ in hernia congenita institutæ colligere licet <sup>g)</sup>; eandem ergo cautelam requirit operatio hydroceles in processu peritonæi membranaceo, quum & hic tot exscindimus, quot fieri posse fagax melius judicabit chirurgus, quam describere datur. Quomodo autem congenita incipiens, quæ in infantibus frequenter obvenit, sine ferro radicaliter curretur, eadem trado, quæ sæpius videre contigit. Si aperitus erat meatus aqua intrusa fuit in abdominis cavum & super annulum applicitum fuit cingulum, quod pilam habuit; ut canalis autem stringatur, aqua vegeto-mineralis frigide adhibita fuit, cujus ope ulterior aquæ secretio coërcita, ut latera canalis concrecerent. Si meatus fuit clausus, nec aqua in abdomen retropelli potuit, idem remedium efficax erat. Observandum autem est, ut scrotum in suspensorio contineatur, ne ab urina, quæ in infantibus effluit, vis medicamenti minuatur, id quod curam protrahit. Optime etiam respondit frigidissimæ aquæ applicatio, dum in cystide ab hoc canali facta, quæ intra annulum erat, & extus quandoque tactui obviam veniebat, aqua contenta fuit; ejus enim ope constricta sunt latera, novaque secretio impedita, sic morbum aliis remedii applicitis non sublatum sustulit.

### §. XXVII.

Nonnulla adhuc sumus dicturi de complicata, quæ vicinis juncta est speciebus. Enterohydrocelen, quum

F 2

<sup>g)</sup> RICHTERS chir. Bibl. I. Bandes 4. Stück p. 163.

magis hernias veras spectet, mittimus, hydrocoeleles vero consideratio hujus est loci. Ortus, diagnosis, & cura tradenda includunt. Sarcocelen herniam producere aquosam omnino verum videtur, sed & a liquore intra tunicam vaginalem testis propriam contento testiculum affici unanimi consensu affirmarunt veteres, recentiorumque fere omnes. Auctioribus a Cl. POTT citatis addere licet GUIDONEM a), cui FRANCO subscripsit b), KALTSCHMIED quoque liquorem corrupti debere contendit, licet id tardius fiat c). POTT ex adversa stat parte, nec praeter relaxationem ullum aliud malum testiculo facere humorem concedit d). An hic analogia vallet? liquor hydropen efficiens per longum temporis spatium si in abdomine moratur, intestina quoque afficit e). Aquosa dum prævalet hernia, difficilis erit carnosæ distinctio, nisi alia adsint signa, quæ tactum non requirunt, cuius ope magnitudinem, duritatem, inæqualitatem sentimus, si minor aquæ portio digitos non impediret f). Ligaturam didyni suadet GUIDO g). Turundam vero adhibuit FABRICIUS ab Aquapendente h), qui nullos habuit asseclas, priorem methodum HEISTER exacte descripsit & restituit, qui probe annotat, non digitis, sed scalpello tunicam cum testiculo esse separandam i), quam

a) Tr. II. D. 2. C. 7.

b) l. c. Ch. 21.

c) in Programmate cit.

d) vom Wasserbruch p. 102.

e) J. G. SCHÆFERS Nutzen und Gebrauch des Tabackrauch-Clysters. Regensp. 1766. p. 65. in not.

f) HEISTER Diff. § 27.

g) Licit ejus commentator rem aliter explicit, Guidonem scilicet in simplici hydrocoele ligaturam instituisse vid. FOUBERTI Annotat. in Traet. Guid. de Apostem. p. 528

h) L. I. C. 29. POTT credit, quod simplex fuerit aquosa hernia, nec cum carnosa juncta.

i) l. c. §. 47.

regulam quidam negligunt *k*), imo contrarium præcipiunt *l*), quum minores inde oriri dolores sibi imaginantur.

Alia videtur huc pertinere species, quam Cl. VOGEL observavit, ubi nempe ex crescētiā spongiosā fungosāque tunicam vaginalē interne obduxerunt & testem quoque involverunt *m*). Exercit. operatori contigit testem servare, quod etiam tentare suadet Cl. HEISTER *n*), si aquam includit, & fluctuat, dum simplici incisione, ut ea effluat, curamus.

### §. XXVIII.

Quæ circa ipsius liquoris naturam observarunt Autores, hic exponam, quæque ipse videre licuit adjungens, Annotant solummodo colorem ejus & consistētiā, compositionem vero scrutari paucissimos occupatos reperi *a*). Qui ejus essentiam determinarunt, non arte chemica, sed rationibus utuntur, quas illorum imaginatio & falsæ hypotheses suppeditabant. Sic fluidum urinæ analogum hoc esse pronunciant, quod ex renibus per vasa spermatica, impedita illa secretionē, descenderet, sic aquam illi hydropicorum simillimam credunt, dum viam per didymum apertam statuebant. Colores varios

F 3

*k*) VOGELS Beob. XI. Hierauf löste ich das ganze Gewächs, wie auch die Hode, mit meinen Fingern in dem ganzen Umfang mit möglichster Geschwindigkeit.

*l*) Mém. de Chirurgie T. V. 1.c.

*m*) 1. c.

*n*) 1. c. §. 39.

*a*) MORGAGNI 1. c. Ep. IV. art. 26. dicit: is humor validiori ignis vi in albissimam concrescēbat substantiam, debiliore autem paulatim in auras dissipabatur, lymphæque notas relinquebat. In Traité des Hernies 1. c. experimenta citantur, sed quis aut quænam instituerit non dicitur.

observationes ALBUCASIS fistunt, citrinum vero vel al-  
bum vulgo reperiri is monet b), quam differentiam diversæ  
tribuit causæ AETIUS, quum album a vitio jecoris & lie-  
nis, subflavum vero & pallidum a nimia vasorum reple-  
tione derivat c). Mox pellucidum d), mox foeculen-  
tum nigrum e), mox turbidum, mox fuscum f), mox  
sanguinolentum g) effluere e lectione Autorum constat.  
Consistentia gaudet varia, HEISTER illum describit, ut  
liquidum quidem pellucidum, sed adeo spissum, ut fere  
albo ovi spissitudine simile fuerit, — in aliis ad tactum  
erat glutinosum h), Cl. MAUCHARTUS amurcam eduxit  
colore & consistentia vini fæces referentem i). Fluidis-  
sum, & citrini coloris toties illud vidi, quoties ope-  
ratio me præsente instituta fuit. Duabus diversis vicibus  
caute, ne sanguis admiseretur, liquorem hunc visu ho-  
mogeneum patinâ excepti, qui nondum refrigeratus jam  
trompum mediis in aquis nataitem oculis obtulit, ci-  
tiusque se separavit, quam sanguis e vena effluens. Exa-  
mini chemico illum submittere operæ pretium duxi,  
præcipue, quum hæc rite peragendi exoptatam præbuit  
occasionem Exp. & Exc. SPIELMANNI, Præceptoris & Fau-  
toris summe venerandi benevolentia. Hæc experimenta  
tecum communico B. L. Tibi nunc erit opportuno tem-  
pore dicenda affirmare, & si nova videre continget, meis  
addere, tunc conclusionem fistere licebit, quam nunc  
mitto.

b) L. II. C. 62.

c) FABR. AB AQUAPENDENTE Op. chir. L. I. C. 27.

d) HEISTER I. c. §. 6.

e) ALBUCASIS i. c.

f) POTT I. c. p. 210.

g) HEISTER I. c.

h) §. 19.

i) in Diff. Praef. Camerarii, Tub. 1722.

Liquorem primo gustavi, alter erat plane insipidus,  
alter acriusculum aliquem saporem linguae impressit.

Acidis mineralibus statim in coagulum fuisse mutatum natura liquorum coagulabilium, ad quorum pertinet classem, jam probabile reddit, nec meretur notare alcohol eundem produxisse effectum.

Syrupum violarum addidi, & viridiusculum obser-vavi colorem repetitis vicibus.

Ex solutione Salis Anglici parum magnesiae præcipi-tavit, sic & præcipitationem in aqua calcis perfecit. Mer-curium in Acido Nitri solutum æque rubicundo dejecit colore, quam Mercurium sublimatum ex simplici aqua; albidum erat præcipitatum, quod ex aceto, in quo plumbum solutum hærebat, secedere fecit.

Cum illo salem ammoniacum trituravi, & sal vola-tilis nares feriit.

Nec solutionem hepatis sulphurei, nec tincturam antimonii ejus affusione turbatas vidi.

Colorem tincturæ lacmus an augeret & exaltaret, periculum feci, sed frustra.

Pari ratione non mutavit tincturam rosarum palli-darum cum spiritu vini paratam.

Spiritus nitri nec in ejus vicinia, nec cum illo ma-ritatus fumum exhalavit album, ut solet, si alkali vola-tile illi appropinquat.

Reliquum liquoris destillavi, en quæ obtainere contigit.

### §. XXIX.

Prima vice liquoris drachmas octodecim ex retorta vitrea levissimo igne destillavimus, & qui transcendit in quatuor vitris exceptus drachmas sedecim cum dimidia ponderavit. Igne gradatim aucto olei empyreumatici scrupulus unus, phlegmatis vero adhuc grana octodecim

sequebantur; salis vero grana quotuordecim recipientis parietibus adhærebant. Carbo remanens, variis coloribus ornatus grana viginti octo pondere habuit, ex cuius cineribus elixivando & crystallisando salis cubici supra carbones dissilientis, sapore salis communis instructi paululum sumus consecuti.

Quæ nunc hic obtinuimus, denuo examinavimus sequenti ratione.

Liquor in vitro primo, & secundo contentus cum acidis nullam fecit commotionem, nec alcalinis adjectus mutationem produxit. Succi vegetabiles tam rubri, quam cœrulei inde non turbabantur, nec is præcipitavit solutiones metallorum. Cum Cupro infusus, illi nullum induxit cœruleum colorem, cumque spiritu nitri fumum non efformavit. E contrario liquor, quem reliquis excepteram vitris, verum alkali volatile continuit, ejusdem naturæ ac sal, qui siccus sublimabatur, ambo enim liquor & salis dicti solutio cum acidis efferbuerunt, syrum violarum viridissimum reddiderunt, metalla ex acidis & terras ex salibus illis scatentibus præcipitarunt, cum cupro infusi cœruleo tincti fuere colore, & spiritui nitri admixti fumum album efformarunt.

Altera vice liquorem, quem obtinueram, nec reliquis experimentis destinaveram, leniter evaporavi in terreo vase nullo encausto obducto. Abiit brevi in gelatinam tremulam spissiorem, cui fibræ carneæ quasi inhærebant, quas non ita facile disrumpere potui. Tentavi aliquam ejus portionem aqua iterum diluere, & ope caloris, in pristinum reducere statum, quem fluidissimum fuisse monui, sed id efficere nulla arte contigit. Reliquum siccissimum in cineres redegi, ut examinarem, an particulas quasdam contineret ferreas, sed nullas videre licuit.




Strassburg, med. Diss., 2.



Sb.





DE  
HYDROCELE  
SPECIMEN INAUGURALE <sup>14</sup>

C U M

GRAVISSIMI MEDICORUM ORDINIS

PRO  
GRADU  
SOLEMN

JOHANN  
B.

DIE XV.

Typis JOH.

